


POMPEI ARIGONII CONSISTORIALIS  
ET REGIS CATHOLICI ADVOCATI

Oratio de vita & miraculis B. Fratris Didaci, qua Regis  
nomine B. Didacus canonizari postulatur, habitata  
Romæ in Consistorio publico, Die xxv. Iunij  
Anno M. D. LXXXVIII.



*M* multis alijs in rebus Philippus Hispaniarum Rex summam in se Dei beneficentiam agnoscit, tum inter precipuos Regni thesauros, diuino sibi beneficio tributos aestimat, in sua ditione viros egregios extitisse, qui caelestem in terris viuendi rationem ingressi, sibi quidem ad calum aditum aperuerunt, ceteros autem sua apud Deum gratia suoque patrocinio tuentur. Quamuis enim qui humanas hasce curas exuunt, Deo prorsus addicti, non unam gentem, aut alteram solum diligant, sed diuini instar numinis, cuius spiritu ducuntur, vniuersum genus humanum suo amore, ac beneuolentia complectantur: tamen proximi cuiusque maior est charitas, ac beatarum mentium benefaciendi voluntas, ad omnes, beneficia ad utentes pertinent: quos ex propinquis frequentiores esse, quam ex alienis necesse est. Merito igitur pius, vereque Catholicus Hispaniarum Rex Beato Didaco in sua ditione orto praeceteris gloriatur, cuius et in popularibus opem expertus est, et in filio primogenito iam a Medicis omnibus destituto, quem admodum suo loco dicemus.

De huius ego vita sanctitate, varijsq. miraculis, tuo

21  
Pater sancte, Regisque iussu hodie verba facturus, illud  
in primis oro, ne ex mea tenuitate sanctissimi Viri vir-  
tutes, estimentur: neu mihi conatus, cui me imparem fa-  
teor, audacia tribuatur: sed mea potius in re tam ardua  
voluntate atque alacritate commendetur: imbecillitas,  
parendique necessitas excusetur. Nam diuina mortali  
cuiquam assequi nefas, nec tamen quia de diuinis digne  
dicere nequeas, idcirco nihil omnino dicendum: aut quia  
nulla illis oratio sufficiat, omnis omnino oratio denegan-  
da. Igitur vitam eius & miranda, non omnia sed pauca  
de multis, quam breuissime, simul & verissime dicam.  
nam singula recensentem dies deficiat.

Et ex his, quae dicentur satis aperte liquebit Beatum  
hunc virum in Sanctorum numerum referendum. Na-  
tus est beatus Didacus in Prouincia Batica, in oppido  
sancti Nicolai diuisionis Hispalensis, honestis parentibus  
& Christianis, quales fuisse par est, a quibus tantus fu-  
turus vir ad pietatem informaretur. Qui vero dies eius  
natalis fuerit, aut quo mense, quoue anno in lucem edi-  
tus, haud satis compertum habeo ex ijs, quae vidimus li-  
terarum monumentis. Sed quantum ex eisdem coniectu-  
ra assequi licet, natum esse credibile est, paulo ante Qua-  
dringentesimo supra millesimum annum a Christo na-  
to. Nam cum ad multam senectutem vixerit, & anno lu-  
bilei Millesimo quadringentesimo quinquagesimo in Vr-  
bem venerit, ac duodecim post annis in calum migra-  
uerit, necesse est natiuitatem eius incidisse in ea tempo-  
ra, quae supra memoraui. Cum primaeu autem sapere  
capit,

3  
 cœpit, humana omnia diuino cultui posthabuit. Itaque  
 ne rerum terrestrium cura a caelestibus contemplandis  
 auocaretur, continuo se ab ineunte adolescentia in soli-  
 tudinem, hoc est, in libertatem vindicauit: atque Ere-  
 mum patriæ propinquam coluit, sacerdote quodam ieiu-  
 niorum, vigiliarum, continentia, atque innocentiæ te-  
 ste ac socio. Ibi Dei diuinorumq. meditatione animum,  
 corpus eleemosynis sustentabat: dumque Deo corde aut  
 ore gratias ageret, interim manus operi intentæ haud  
 quaquam otio languescebant. sed varia e iunipero va-  
 scula, salina, cocblearia conficiebat, eaque largieba-  
 tur us, qui victui necessaria suppeditabant. si quid  
 autem præterea dare vellent, id omnino recusabat.  
 Tantis in eius moribus elucebat virtutum omnium con-  
 sensus, vt omnium in se oculos raperet, omnes excita-  
 ret in admirationem sui. Radix autem virtutum om-  
 nium, & quasi fundamentum humilitas & sui contem-  
 ptio, quæque eam sequitur aliorum hominum charitas  
 quo nullum apertius vinculum humana societatis: nam  
 qui seipsum despicit, alios suspicit, si nunquam sibi plus  
 sumet quàm ceteris, itaque aut iustitiam adeptus iam  
 est, aut iustitiæ valde propinquus: humilitas in eo tanta  
 erat, ut omnes homines sibi præferret, in seruire omnibus  
 cuperet, senes, iuuenes consilio atque auxilio iuua-  
 re. charitatem autem haud facile cogitatione assequi, ne-  
 dum eloqui quisquam possit. Harum virtutum fama  
 cum vicinas vrbes impleisset, repente ab Eremita discessit,  
 & se ad conuentum de Arrixasa ordinis sancti Francisci

4  
a Corduba non longe distantem contulit, seque in illorum  
ordinem admitti postulat, quos vulgo Observantes vo-  
cant, inde ad Monasterium Compluten. eiusdem ordinis,  
quod est ad eadem sancte Mariæ Iesu præsectorum iussis  
obtemperans se transfert. Hic latior humilitatis campus,  
vberiorque materia virtutum omnium. nemo constan-  
tius atque hilarius Religionis illius iugum tulit: nemo  
exactius omnia illius Regule præscripta servauit: nemo  
acrius carnis stimulos recudit: nemo eam ieiunijs ac vi-  
gilijs, flagellisque fortius maceravit, utque ingenitos im-  
petus reprimeret, gelidam interdum hyemali tempore  
aquam ingredi non dubitavit, tam rigida utebatur casti-  
gatione corporis, a capite ad talos vsque sese flagellis la-  
cerans, ut nemo humana illam virtute ferri posse puta-  
ret. Fortunatas aliquando Insulas petiit, quas Canarias  
appellant: ibi innumerabiles Canarienses ad Christia-  
nam Religionem, verumque Dei cultum traduxit, in his  
Ioannem Alphonsum quendam, qui eo infidelis atq. Ido-  
torum cultor è magna Canaria venerat, is deinde duos fi-  
lios B. Didaco instruendos, & vera pietate imbuendos  
tradidit, in magnam inde Canariã profectus, ut incolas  
ad verã Religionem traheret, magnas ibi Christianæ Re-  
ligionis propaganda causa persecutiones pertulit, magno  
enim studio martyrii subeundi tenebatur, nisi illũ comites  
a proposito auertissent, qui perire se dicerent, ne captiui a  
Canariensibus decernerentur. horum charitas B. Didacũ  
ab eo consilio retraxit. Quodque admirationem auget,  
hec omnia peragebat nulla excelsus doctrina, nullis lis-

terarum studijs eruditus: erat enim illiteratus, quam ob  
 causam nullis vnquam sacris ordinibus initiatus est, sed  
 (ut vocant) Laicus per omnem etatem mansit. Quin  
 etiam Conchensi cuidam amico bonarum artium peritissi-  
 mo, alijsque non paucis quaestiones difficillimas de rebus  
 non solum ad salutem animae; sed etiam ad litterarum  
 studia spectantibus enodabat: quarum illi solutionem ne-  
 que Salamantica neque Lutetiae, neque alijs in Acade-  
 mijs, in quibus antea studijs operam dederant, inuenire  
 potuerant. Cum autem omnes omnium consensit virtu-  
 tibus omnibus anteiret, praecipue in eo pauperum chari-  
 tas exstebat. his omnia largiebatur. quicquid undique  
 ab amicis, a contubernalibus, a notis, ab ignotis accipe-  
 re poterat, id omne in vsus pauperum erogabat. cumque  
 quid illis daret, non habebat, una cum illis eorum mi-  
 seriam deplorabat, multisque lacrymis animi sui dolore  
 restabatur. Mendicorum vlcera suis manibus absterge-  
 bat. Romam venit, ut ante dictum est anno lubilei: di-  
 uertitque in Monasterium Sancti Francisci quod est ad  
 eadem Sanctae Mariae, quae dicitur Araceli. ingens ibi  
 aegrotorum & languentium numerus: magna insuper  
 annona caritas & penuria rerum omnium Urbem inua-  
 serat. Didacus aegrotorum cura suscepta tanta illis cha-  
 ritate, ac diligentia ministrabat, tantaque affluentia  
 rerum omnium, ut omnes in primis que Monasterij praefectus  
 mirarentur, unde illi in tantis aliorum angustijs  
 tanta rerum copia suppeteret: omnesque opem illam Bea-  
 ti Didaci apud Deum gratia acceptam ferebant: omnes

Didacum vt virum sanctum, Deoque gratissimum mi-  
 rabantur. Complutum tandem redijt, nam singulas eius  
 actiones persequi nimis longum, & prope infinitum esset,  
 ibique deinde ad duodecim, aut tredecim annos vixit.  
 tanta cum humilitate, atque in Superiores obedientia,  
 tanta preceptorum obseruantia, tanta vite austerita-  
 te tanto exemplo, vt ab omnibus existimatus fuerit ob-  
 seruatione mandatorum Dei ceteris omnibus, qui vlli  
 vnquam Religioni se addixerint, praestitisset. In mor-  
 bum incidit, qui & illi mortalis huius vite sine attulit,  
 atque ad aeternam illam ac perennem additum patefecit.  
 Eius morbi molestias tanta constantia tulit, vt nullum  
 vnquam doloris indicium dederit. Suauiter astantes al-  
 loqui, solari, veniam offensionum petere non desistit, do-  
 nec utroq; brachio sublato, quorum alterum magna vi  
 morbi, quod apostema dicitur, immobile fuerat, Crucem  
 amplexus atque exosculatus in illa Hymni verba: Dul-  
 celignum, dulces Clauos, & quae sequuntur, animam  
 Deo reddidit anno post Christum natum Millesimo qua-  
 dringentesimo sexagesimo tertio. Mortuo Didaco neque  
 artus obriguerunt, & multis mensibus flexibiles man-  
 serunt, vt viuis solent. Odoris etiam suauissimi fragantia  
 cubiculum oppleuit. Hodieque is odor a nonnullis plerun-  
 que sentitur, quanquam sine vllis illum odoribus aut aro-  
 matibus sepultum fuisse constat: atque ad eius mortui  
 famam ingens populorum concursus est factus. Scio ego  
 Pater Beatissime de rebus mirabilibus dicenti plerunq.  
 faciles esse audientium aures. & alioquin a radio nar-  
 rationis



rationis defendit officij necessitas. Veruntamen haud  
 quaquam concessa mihi facultate, nec audientium be-  
 nignitate intemperantius abutar. Sed ex ingenti mira-  
 culorum copia, quibus diuinus ille vir in vita claruit,  
 vnum aut alterum breuiter attingam: itemque nonul-  
 la de ceteris, quae post mortem euenerunt. Quid autem mi-  
 rabilius referam, quam quod è Monasterio quodam, quod  
 Hispani Cerrai e nominant, Hispalim profectus, mulieri  
 cui dam filiolum in furno latitantem, ibique sopore cor-  
 reptum, accenso dein furno atque vndique conflagrante,  
 illa sum a flamma seruauit. Erat misera cuidam mulier-  
 culae septenis filius, aut paulo maior, qui sapius eius  
 iram metuens aufugere solebat. Is cum die quodam au-  
 fugisset, non ante diem Dominicum domum redijt. tum  
 veritus ne a matre vapularet, in furno se se abdidit.  
 nam Mater panecoquendo seque & puerulum, & reli-  
 quam familiam sustentabat. Ibi puerum iacere mater  
 ignorans furnum vesperi lignis opplet, vt summo mane  
 postridie incenderet, ac feruefaceret. Tum sedula mulier,  
 antequam luceferet, ignem lignis admoet, atque arida  
 farinenta tanto impetu flammam corripunt, vt simul et  
 puer excitus clamare inciperet, & repente furnus flam-  
 mis conflagraret. Quid in tam acerbo filij casu mater fa-  
 ceret? quod illi auxilium ferretur? omni humana ope  
 desituta scissa coma, gemitu atque vlulatibus domum  
 ac vicinam omnem complet. res ad Beati Didaci au-  
 res peruenit. ille obuiam factus mulierem solatur, ac bo-  
 no animo esse iubet. hortatur vt ad eadem maiorem Bea-

tae Virginis accedat, eique se toto ex animo commendat. Non secus atque oraculo monita, relicto furno, ac filio ad maiorem Dei genitricis adem aduolat. Quid verbis opus est? continuo Beatus Didacus, quique illi comes aderat, qui & huius rei testimonium perhibuit, in furno illasum puerum, combustis lignis inuenerunt, adductumque ad adem ubi mater orabat, Canonici albis vestibus in honorem Beatae Virginis induerunt. Hoc ille miraculo cum Hispanenses omnes obstupescisceret, incredibile dictu est, quam ipse sibi solus humilior atque abiectior videretur.

Ex eodem Monasterio cum aliquando eodem comite ad oppidum Sanlucar de Barameda, absque ullo commeatu profectus esset, ipseque & comes longo itinere defessi in vicum quendam, quem Palatios vulgo dicunt, diuertissent, ut inde sibi ad victum necessaria corrogarent, neque ibi quidquam opis inuenissent, quo famem sedarent, longumque adhuciter superesset, comitem hortatus ut in Deo spem haberet, alacriter via reliquam obibat, varias Deo laudes concinens, Cumque in planiciem quendam amplam peruenissent, anima duertunt in via prope herbam, quae Marisma dicitur, mansit quondam linteam eximio candore, in eoque panem candidum ac duos pisces recens coctos, & malum medicum & insuper vini vasculum. Id illi quamquam diuinitus oblatum rati, non confestim arripuerunt: sed vndequaque circumspicientes, an quempiam viderent, cuius illa cibaria esse possent (erat autem planicies maxima, ut



non minus decem millibus passuum conspici vndequaq;  
 posset) vbi neminem viderunt, paratis sibi dapibus, re-  
 fecti, Deo gratias egerunt, quodque superfuit, ibidem  
 reliquerunt Ac Beatus Didacus comiti gratulatus,  
 quod sibi Deus necassaria suppediasset, non secus atque  
 filijs Israel in deserto; tantus in eo fidei candor, & qua-  
 dam, vt ita dixerim, simplicitas inerat, vt nihil supra.  
 Itaque Varias egrotantium ac languentium species ad  
 sanctitatis eius famam vndique confluentium digito  
 lampadis oleo inuncto, ac signo Crucis facto sanabat.  
 Hac aliaque innumerabilia ille miracula viuens edi-  
 dit. Sed & aliquid referamus ex ijs, quae summa omnium  
 admiratione mortem eius consecuta sunt, ac potius quo-  
 tidie consequuntur.

Catherina Martinez Antonij filia ex oppido de Du-  
 ron oriunda, quae cum muta surdaque esset, ac semper pa-  
 ralyti laborasset, ad corpus beati Didaci delata, ac signo  
 Crucis eius manu signata, repente conualuit: nec tan-  
 tum suis pedibus incessit, sed etiam Vicario, praecunte  
 hac verba protulit, Laus Christo Iesu, semperque dein-  
 cept absque vlllo impedimento locuta est.

Iuuenis alius xx. annorum, cum Spiritus quodam im-  
 mundo detineretur, ita vt saepius quotidie in terram  
 desidens, ad puteos rapi se diceret, adductus ad Sacel-  
 lum, in quo beati Didaci corpus asseruatur, ibique dies  
 aliquot moratus, sanitatem pristinam recuperavit.

Maria Garcia, cuius murus Catherinae nomine certa

ex partu pernicies aderat, propterea quod infans in utero transuersus vnum tantum pedem extulerat, in tanto purperæ discrimine beati Didaci meminuit, allatumque vestis fragmentum, qua Beatus ille vir amictus fuerat, & paullulum terræ, qua corpus eius tegebatur, nurui superimposuit. ita, quæ diem totum in tanto periculo manserat, continuo partum edidit mortuum quidem, sed ipsa mortis periculo liberata. Tum socrus ex tanto miraculo etiam partui vitam restitui præ fidei seruore a Deo petere ausa, vouens, si id impetrasset, in sacello B. Didaci se nouem diebus euigilaturam, voti compos facta, infantem, quæ per quattuor horas mortua fuerat cum reuixisset, in sacro Baptismatis lanacro Mariam de suo nomine dici voluit.

Aluarus de Gaa Lusitanus Ancilla suæ misericordia motus, quæ filiam paucis ante horis mortuam miserabilem in modum lugebat, eam hortatur, vt Puellam ad corpus beati Didaci deferret, atque a Deo peteres, vt ob eius merita vitam filia restitueret. Ancilla cum domini monitis paruisset, quam Puellam ex animam domo extulerat, eam viuentem ac validam domum reduxit.

Quamuis autem mortuos in vitam reuocare inter præcipua Dei miracula censeatur, haud scio, an magis etiam censendum sit quod virgini cuidam Hispana, cui Maria de Pinnuela nomen erat, non vnam tantum vt alijs, sed multiplicem vitam reddidit, tot illo morbis

gravissimis laborabat, tam intolerandis febribus vexa-  
 batur, tam acerbis atque assiduis capitis doloribus tor-  
 quebatur, ut ( si ita dici fas est ) multas quotidie mor-  
 tes expiriretur. ad huc humero, crure, tibia debilitata  
 multarum corporis partium usum amiserat. Tot modis  
 afflictam Virginem Cupido incessit, quando nulla iam  
 humana ope sanari se posse sperabat, ad beati Didaci  
 corpus adeundi, ab eoque auxilium implorandi. Ita uti  
 petierat eo delata, quid memorem quæ Puella miranda vi-  
 derit atque audierit? Ea nec referre necesse habeo, &  
 certis extant gravissimorum hominum testata monu-  
 mentiis. In summa quæ per undecim menses varijs cru-  
 ciatibus exagitata fuerat, ubi ad Beatum hunc virum  
 accessit, & morbum toto corpore depelli, & suum mem-  
 bris omnibus vigorem restitui sensit, ac suis pedibus de-  
 inceps incessit, Deum laudans, ingentesque beato Di-  
 daco gratias agens, cuius precibus ac meritis a Deo sa-  
 lutem impetrasset. atque hoc nostra memoria factum est  
 anno humane salutis Millesimo quingentesimo quin-  
 quagesimo quinto.

Huic miraculo recensius aliud subiiciam, quod ple-  
 ri que meministis. factum est enim anno Millesimo quin-  
 gentesimo sexagesimo secundo.

Serenissimus Hispaniarum Princeps Carolus olim  
 adolescens, Compluti, cum in Regia luderet è scalis qui-  
 busdam supinus cecidit, ac tam graviter offendit, ut in-  
 gens in capite vulnus acciperet. cum & lethale vulnus

omnibus videretur, & de salute tanti Principis ageretur, existimandum est humanissimum Regem, ac liberorum amantissimum nihil intentatum reliquisse, quod filio primogenito in tanto discrimine adiumento esse posset. Medicos vndique accersit. remedia quaecunque adhiberi possunt humanitus, adhibentur. omnia tamen vulnere cedunt. itaque desperata filij salute Rex secessit: sepultura locus destinatur: panni lugubres, funeralia, exequia tanto Principe digna magna cum cura parantur. Postremo tamen, astantium quorundam animus ad Beatum Didacum se conuertit, postulatumque est ut eius corpus in Cubiculum Principis deferretur, & prope eum locaretur. Postquam id factum est, paucarum horarum spatio Princeps meliuscule se habere, ac potius reuiuiscere cepit: ut omnibus liquido constaret, vitam ei non humanitus, sed B. Didaci merito diuinitus restitutam.

Igitur Beatissime Pater, qui ab ineunte etate sese ab humanis curis omnibus abdicauit, qui vitam suam omnem Deo dicauit, qui caelestem interris viuendi ratione coluit, qui charitate in homines, in Deum pietate ceteris omnibus praestitit, qui diuinas leges omnes adimpleuit, qui susceptae Religionis iugum non ex parte solum, verum etiam iuuende tulit, qui praescripta eius omnia ac mandata seruauit, cuius vitae sanctitatem & ex actionibus eius nouimus, & ex innumeris miraculis comprobati quotidie videmus, ex quibus ego tamesi

nonnulla recensui, vix tamen eorum millesimam partem attingi, quem Deus acceptissimum sibi aeterna beatitudine perfrui non obscuris indicijs, sed signis certissimis clarissimisque monstravit, quem a Sanctissimis Patribus maioribus tuis Pio III. Pio V. Gregorio XIII. Pontificibus Maximis, Hispaniarum Rex ac potius Hispania tota petijt in Sanctorum numerum referri: quem referendum Sacri Palatij causarum Auditores causa ab eisdem Pontificibus delegata Viri sapientissimi, ac diuini humanique iuris peritissimi censuerunt. quem etiam ex hoc supremo Christiani orbis Concilio delecti Patres eadem causa diuinitus cognita iisdem honoribus dignum iudicarunt. Eundem idem Philippus Hispaniarum Rex non minus re quam cognomento Catholicus Beati Didaci, tuaeque gloriae studiosissimus, enixe rogat, vt Sanctorum numero tandem adscribi declares, vt quorum in caelo consuetudine fruatur, eorundem numero adscriptum in terris Ecclesia debitis honoribus ac laudibus prosequatur. Hoc si ab vlllo ei Pontifice debebatur, abste Pater Sancte praecipue debetur, qui & eandem Regulam coluisti, & eius vitae imitatione ad istud humanarum rerum fastigium ascendisti. Hoc abs te suo quodammodo iure postulant pij Viri omnes, qui eiusdem Regulae contubernio vtuntur, ne huiusmodi quasi stellarum lumini, quae se sancta ista domo emicant, ignoratione hominum, ac tenebris officiantur. Hoc abste Toletana Ecclesia, hoc Complutensis petit Vniuersitas,

quae

que tali Alumno merito gloriantur, hoc denique Hispani omnes optimum ac sapientissimum Regem secuti summis precibus obtestantur: tibi que atque huius Sancte sedi perpetuam beneficij memoriam & gratitudinem pollicentur.



ANTONII BUCCAPADVLI

Secretarij Apostolici, Sanctissimi D. N.

Sixti V. nomine, Responsio.



IVTURNAM Philippi Regis Catholici postulacionem de Beato Didaco, viro & vitæ sanctitate, & miraculorum copia, & magnitudine clarissimo in Sanctorum catalogum adscribēdo dignissimam iudicat Sanctissimus Dominus noster perpetua Regis ipsius pietate & gloria. Qui enim curam, cogitationemque omnem habet locatam & fixam in Catholica religione tuenda & propaganda, qui & semper antea, & hoc maxime tempore summis opibus contendit, vt deleta hæreticorum perfidia fides Catholica in veterem dignitatem, atque amplitudinem vindicetur; cuius omnia tum belli, tum pacis studia ad Dei gloriam referuntur, inque ea consummuntur; hunc censet Sanctissimus Dominus noster conuenire, de augenda etiam quodammodo cælestium gloria cogitare & postulare, ( si ita videatur Romano Pontifici, cuius ea potestas, atque actio propria est ) vt ei Viro, cui nihil fuisset in hac vita Deo charius, quique ipse Deo charissimus fuisset; his honos tribuatur, qui possit maximus adhiberi, vt Pontificis scilicet ipsius decreto declaretur, Sanctus esse ex eorum numero, quos Ecclesia quotidianis honoribus veneratur. Et beati quidem illius vita, ac miracula aliquot de multis nunc sunt diserta, & graui oratione exposita. Agit autem Sanctissimus Dominus noster Deo gratias immortales, quod tanta cum sui nominis gloria, cum Ecclesiæ lætitia, cum piorum fructu cumulet seruos suos summis virtutibus, velitque illos summa apud omnes

nes

Gal. 1. 1. &  
B. Bernar.  
vigil. SS. Pe  
& Pauli.

nes in veneratione, atque admiratione esse . Laudatur  
Deus in sanctis suis, ac mirabilis prædicatur : proponi-  
tur auxilium ad implorandum; exemplum ad imitan-  
dum; segnities nostra ad accusandum, dum agnoscimus  
tanto nos illis inferiores esse, tamque longe ab illorum  
perfectione abesse . Sed facit rei magnitudo vt censeat  
Sanctissimus Dominus noster de Regis postulatione ef-  
se etiam atque etiam cogitandum, cumque suis fratri-  
bus deliberandum . Hortatur igitur eos, monetque, vt  
de actis Beati Didaci, quæ confecta sunt, quam diligen-  
tissime considerent : quodque ipse iam pridem facit,  
Deum orent, è cuius vultu debent hominis iudicia pro-  
dire, vt ostendat quid facto maxime opus sit, actionem-  
que hanc omnium grauissimam totam dirigat ad suam  
gloriam, sanctæque Ecclesiæ suæ fructum, atque ampli-  
tudinem.

Gal 16.

*[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. A circular stamp or mark is visible in the center of this section.]*